



**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum seposita redemptione generis humani, sit per se
conueniens Deum incarnari. Id est, Vtrum præter Redemptionem generis
humani, sint aliquæ rationes, ob quas potuerit hoc esse conueniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

2 Quæst. 1. De conuenientia Incarnationis. Art. 1. Dub. 1.

⁵ *Conuenientissimè dicitur Incarnatio.* Aduerte tamen, nomen Incarnationis esse conuenientissimum. Primò, quia Ioannis 1. vers. 14. dicitur *Verbum caro factum est*: quod nihil est aliud, quàm Verbum Incarnatum. Vbi nomine carnis, iuxta phrasim Hebraeam, intelligitur totus homo: sicuti Lucæ 3. vers. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*; id est, omnis homo. Genes. 6. vers. 12. *Omnis caro corrumperat viam suam*. De quo vide D. Augustinum in Enchiridio cap. 34. & lib. 14. de Ciuit. cap. 2.

Secundò, Quia indicat id quod videbatur difficilius, & magis à Deo alienum; vnde magis insinuat pietatem & amorem Dei erga homines, quàm alia nomina: quare meritò 1. ad Timoth. 3. vers. 16. dicitur *Manifeste magnum esse pietatis Sacramentum, quod apparuit in carne*.

Tertiò, Quia caro includit animam; non enim assumpsit carnem mortuam, sed viuam.

⁶ *Vocatur etiam Oeconomia.* Porro, nomen Oeconomiae, quo etiam multi Patres in hac materiâ vtuntur, potius significat ipsam Dei extraordinariam ordinationem, & dispensationem, qua constituit assumere naturam humanam, & in eâ salutem nostrâ operari, quàm ipsam Incarnationem. Sed Incarnatio est effectus illius Oeconomiae; quam ob rem etiam interdum Oeconomia dicitur.

DVBIVM IV.

Vtrum hac Tractatio praestantior sit ceteris Theologia partibus?

⁷ **R** Espondeo, Esse praestantiorē, excepta eâ quæ est de diuina natura, & personis diuinis.

Q V Æ S T I O P R I M A.

De conuenientia Incarnationis.

In sex Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari?

R Espondetur affirmatiuè; Et Probatur testimonio Damasceni & Dionysij Areopagite.

Notandum est, Supponere D. Thomam Incarnationem esse possibilem: fortè ideo quia id directè probari non poterat; sed solum poterant solui argumenta contraria; quod fiet in sequentibus.

Occurrunt hîc quatuor Dubia.

DVBIVM I.

Vtrum seposita redemptione generis humani, sit perse conueniens Deum incarnari? id est. Vtrum prater redemptionem generis humani, fini aliqua rationes, ob quas potuerit hoc esse conueniens?

² **R** Espondeo esse. Probatur, Quia id est conueniens Primò, diuine bonitatis: secundò, perfectioni vniuersi: tertio, humanæ naturæ.

Ratio est, Quia Incarnatio est excellentissimum ^{Praestat} diuinorum operum, omni sermone ineffabilis, ^{ceteris} omniq̃ intelligentiâ ignota; scilicet comprehensiuè; vt ait Dionysius lib. de Diuinis Nominibus c. 2. Vnde post Trinitatis mysterium nihil sublimius Incarnatione Verbi.

Secundò, Quia sicut diuinitas est vniuersalis causa salutis nostræ efficiens, ita Christus incarnatus est vniuersalis causa meritoria, ex qua omnia media, quibus ad vltimum finem peruenimus, dependent: ac proinde praestantior est eius tractatio, quàm omnium mediōrum.

Hinc sequitur, Eam esse maximè propriam ⁸ Theologiæ Christianæ. Cuius signum est, quòd ^{Solis Chri-} licet gentiles Philosophi, multa de ijs, quæ ad ^{stianis nota} alias Theologiæ partes pertinent, disputauerint, vt de natura diuina, de creatione mundi, de Angelis, de virtutibus & vitijs; tamen nihil vquam de mysterio Incarnationis cognoscere potuerunt. Aded illud proprium est Christianæ Theologiæ. Quare Augustinus lib. 7. Confess. cap. 9. legisse quidem dicit se in libris Platoniorum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt*, nunquam tamen se legisse, *& Verbum caro factum est*. Similiâ habet Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Nec mirum, quia gentibus hoc mysterium stultitia videbatur, sicut & Iudæis ignominia; vt Apostolus ait, 1. ad Corinth. 1. vers. 23.

Quod diuinæ bonitati conueniens sit, ^{Incarnatio} Probatur; Quia boni est communicare seipsum, ^{est conueniens} vt docet Dionysius cap. 4. de Diuin. Nominib: ^{niens diuina Bonitas} ergo decet summum bonum, summè communicare seipsum: atqui hoc fit per mysterium Incarnationis: ergo decuit diuinam bonitatem carnem assumere. Vbi

Nota; Non esse de ratione boni, communicare se actu; sed esse sui communicatiuum: id est, esse perfectum vt possit se communicare, & ad hoc habere quandam propensionem. Communicare autem se actu, est signum bonitatis, & operatio illi maximè consentanea.

Petes; Quomodo communicat seipsum summè in hoc mysterio?

Respondeo: Tripliciter: Primò, In genere causæ formalis: quia non aliquam perfectionem creatam & limitatam, sed suam increatam & imensam communicat creaturæ, ita vt creatura incipiat esse immensa. Secundò, In genere causæ efficientis: quia creaturam facit esse Deum. Tertiò, In genere causæ finalis: quia maximè allicit nos, per hoc opus, ad sui amorem & studium. Vide D. August. in Enchiridio cap. 26. & lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Explicatur exemplo: ³ Si lux sola esset perse subsistens extra globum solis, & poneret seipsam efficienter & formaliter in ipso ^{Communio per incarnationem est summa tripliciter.} ^{A simili}

in ipso globo solari, communicaret seipsam summe per modum causæ efficientis & formalis simul; sed respectu nostri, per modum causæ finalis; nam per hoc maxime excitamur ad illam videndam, & amandam; maxime si ante fuisset incognita.

Aduerte; In alijs rebus, communicationem formalem & effectiuam, non esse respectu eiusdem; nam forma subiecto quidem suo formaliter se communicat, non effectiue; rei autem productæ, effectiue tantum, non formaliter.

Dices, Deus communicat seipsum excellentiori modo per generationem æternam: ergo communicatio Incarnationis, non est summa.

Respondeo, Communicatio illa per generationem, est omnino naturalis, nec potest fieri creaturæ, vnde absolute est summa: sed communicatio per Incarnationem, summa est, non absolute, sed respectu creaturæ; & inter communicationes ad extra, seu liberar. Nam cum Deus communicet se creaturis quadrupliciter; Primò, Tribuendo cuique speciem & naturam, quæ est imitatio & quædam participatio naturalis diuini esse: Secundò, Tribuendo naturæ rationali virtutes supernaturales donaque gratuita, quæ sunt participationes altiores diuinarum perfectionum; Tertiò, Tribuendo naturæ rationali lumen gloriæ, quo particeps fit diuinæ beatitudinis, & ornamenta supernaturalia statui glorioso consentanea: Quarto denique, Dando illis non aliquam sui participationem & veluti particulam, sed seipsum totum, secundum totam suam immensitatem, quod fit per Incarnationem; hæc quarta, est summa communicatio possibilis.

Dices, Deus communicat seipsum totum immediate in beatitudine; quia per seipsum immediate mentibus beatorum vnitur: ergo ad summam communicationem non erat necessaria Incarnatio. Deinde, magis seipsum communicasset, si omnes personæ assumpserunt; & si plures naturæ fuissent assumptæ; vel etiam totum vniuersum.

Respondeo ad primum: Communicatio illa, quæ Deus se communicat beatis, est extrinseca. Sicut lux solis, communicatur oculo dum videtur; ita Deus dicitur beatis communicari, quatenus ipse immediate videtur, & per seipsum concurrat ad illam visionem efficiendam. In Incarnatione autem Deus per seipsum intime communicatur creaturæ, & in illa corporaliter inhabitat, ita vt creatura sit Deus.

Respondeo ad secundum. In illo casu communicasset se magis extensiue, non intensiue: atque extensiua communicatio, non est per se primò intenta, quia termino caret, sed intensiua: non enim pertinet per se primò ad perfectionem operum Dei, vt tot, vel tot sint indiuidua; sed distinctio generum & specierum.

Addo, Quod non sit possibile, vt sit summa communicatio extensiua. Vnde sufficiebat, vt vna persona assumeret vnā naturam: quod etiā pertinet ad commendationem huius mysterij, nempe vt in toto vniuerso esset vnicum & singulare.

Secundò, Quod conueniens sit perfectioni vniuersi;

Probatum Primò, Quia ad vniuersi perfectionem quodammodo pertinebat, vt ex omnibus rerum ordinibus constaret, quo Deo esset quā si-

millimum: ergo præter ordinem naturæ, gratiæ & gloriæ, consentaneum erat, vt tamquam omnium complementum, etiam esset ordo, siue gradus vnionis hypostaticæ.

Probatum Secundò, In omnibus rebus creatis, vna tantum persona est in vnā naturā, in Deo tres personæ sunt in vnā natura: ergo vt essent omnes differentiæ rerum, conueniens erat, vt vna persona esset in duabus naturis. Simili namque modo, D. Leo serm. de Natiuitate; probat conueniens fuisse, vt aliquis homo esset productus ex muliere sine viro; quia inuenitur homo productus sine viro & muliere; & productus ex viro & muliere, vt nos omnes; & productus ex viro sine muliere, vt Eua: ergo debet esse aliquis productus ex muliere sine viro, vt Christus.

Probatum Tertiò, Quia per Incarnationem, omnis creatura singularem quandam dignitatem accepit: Nam omnis creatura in homine quodammodo est assumpta, quod in alia natura fieri non poterat: in homine enim omnes rerum gradus continentur; vt docet Damascen. lib. 2. de Fide orth. cap. 12. Est enim in ipso natura corporæ, communis cum rebus inanimis: est vegetabilis cum plantis; sentiens cum animalibus; intelligens cum Angelis. Vnde vocatur à Philosophis *μικρόκοσμος*; & iuxta D. Gregorium hom. 29. in Euang. vocatur *omnis creatura*. Hanc excellentiam omnis creaturæ contentam in homine, explicat Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 18. Et Caietan. hic. Videtur etiam quibusdam insinuari ab Apostolo ad Ephesios 1. v. 10. vbi ait: *Per Christum insinuari omnia, quæ in celo, & quæ in terra sunt*. Vbi pro *insinuare*, Græcè habetur *ἀνακεφαλαιώσασθαι*, quod significat, in summā & cōpendio completi; seu vt Irenæus ait *Recapitulare*. Quasi Apostolus voluerit dicere, in Christo omnia colligi & vniri, quæ in celo & in terra dispersa sunt.

Tertiò, Quod Incarnatio valde fuerit conueniens naturæ humanæ;

Probatum Primò, Quia per eam effectum est, vt homo esset Deus; vnde plurima sequuntur excellentiæ. Primò, Vt homo sit caput totius vniuersi. Secundò, Vt sit capax infiniti meriti & perfectissimæ iustitiæ coram Deo. Tertiò, Vt sit fons salutis, & omnium bonorum supernaturalium. Ad Ephes. 1. v. 3. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in caelis in Christo*. Quæ dignitates, etsi videantur esse soli Christi, tamen moraliter in totum genus humanum redundant.

Probatum Secundò, Per Incarnationem effectum est, vt singuli homines haberent ius perfectæ iustitiæ ad gratiam Dei, & gloriam æternam; non quidem in seipsis, sed in Christo. Ita enim debetur hominibus gratia & gloria, vt respectu Christi, sit debitum ex iustitia; quamvis respectu nostri sit gratia aut misericordia, vel saltem non ita perfecta iustitia.

Probatum Tertiò, Effectum est, vt haberemus caput eiusdem generis nobiscum; seu vt Theologi loquuntur, *Caput homogenum in ordine gratiæ*. Vnde August. Tract. 80. in Ioannem: *Eiusdem*, ait, *sunt natura viri & palmites: cum igitur, esset Deus, cuius natura nos non sumus; factus est homo, vt in eo esset virtus humana, natura, cuius nos palmites esse possemus*. Cū enim Ecclesia constet Angelis & hominibus, secundum naturam inuisibilem erat Deus

A a ij similis

Deus secundum se communicat liberè creaturis quadrupliciter.

Incarnatio superat communicationem beatorum.

Communicatio extensiua, non arguit maiorem perfectionem.

Est conueniens perfecti vniuersi.

In homine vniuersa creatura assumpta est.

Est conueniens naturæ humanæ.

4 **Quæst. 1. De conuenientia Incarnationis. Art. 1. Dub. 2.**

similis Angelis, sed non nobis; unde decebat eum assumere naturam visibilem, vt etiam fieret similis nobis, vt nostra humilitas, quæ est Angelis inferior, hac ratione compensetur.

Aduerte tamen; Etiam si ob has rationes conueniens videatur, vt Deus homo fieret, etiam seposita redemptione humani generis; tamen non deesse alias rationes ob quas etiam fortè magis conueniens videatur vt non fieret, nisi supposita necessitate nostræ redemptionis.

DVBIVM II.

Vtrum Deum incarnari, fuerit conueniens ad reparationem generis humani?

8
Cnr homo
lapis, po-
tius sit re-
demptus
quam An-
gelus.

Suppono ob multas rationes fuisse magis conueniens, vt homo lapsus rediret, quam Angelus. Primò, Quia tota humana natura ceciderat; Angelica solum ex parte. Secundò, Quia omnes homines vnà tantum voluntate peccarunt, eaque aliena, nempe primi parentis; Angeli autem singuli, sua voluntate. Tertiò, Quia natura humana est magis infirma & calamitosa, unde magis apta ad mouendam Deo commiserationem. Quartò, Quia homo ob naturam imperfectiorem habet voluntatem facile mutabilem, & longam viam in qua possit poenitere: Angelus autem naturam suam magis est inflexibilis, unde non est ita facilis ad poenitendum: deinde brevissimam naturam suam postulat viam. Quintò denique; Quia Angelus sponte sua cecidit; homo autem inductus à dæmone per mulierem. Omitto alias minores. Quibus positis:

9 Respondeo, Ad reparationem humani generis, nullum potuisse inueniri modum conuenientior, quam Filius Dei Incarnationem.

Est certa & communis Doctorum ac Patrum: D. Augustinus 13. de Trinit. cap. 10. expressè dicit; *Sananda miseria nostra conuenientior alium modum non fuisse.* Idem docet D. Leo serm. 1. de Natiuit. item serm. 4. & 10.

In Incar-
natione
maximè
reliet in-
finita di-
uina.

Probatur Primò, Quia maximè fuit conueniens; vt homo redimeretur iustissima & perfectissima satisfactione. Primò, Quia in tali maxime elucet iustitia diuina; quod valde ad gloriam Dei pertinet, & ad perfectionem operum diuinorum: Nam sic, quod per peccatum inordinatum erat, excellentissimo modo ad ordinem reuocatur. Excitantur etiam homines vt maiori circumspectione peccata deuinent, cognita hac Dei iustitia: de quo vide Anselm. lib.

Miserico-
dia.

Cur Deus homo cap. 12. Secundò, Maximè elucet misericordia Dei; vt docet Damascen. lib. 3. de Fide cap. 1. Quia non solum datur homini venia & tempus poenitendi & satisfaciendi; sed etiam dantur vires & infinita bona, quibus perfecte satisfiat. Facit quoque ad maiorem hominis dignitatem & gloriam, & ad maiorem animi tranquillitatem, vt ostendit Richard. de S. Victore libro de Incarnatione cap. 8. Tertiò,

Sapientia.

Maximè elucet Sapientia: quia vt ait Damascen. lib. 3. de Fide cap. 1. *Inuenta est difficillimi preij decentissima solutio; & in eodem opere coniuncta est arctissime summa misericordia & iustitia; quæ antea pugnare videbantur;* iuxta illud Psalmi 84. *Miseri-*

cordia & veritas obuierunt sibi, Iustitia & pax osculata sunt. Atqui homo non poterat redimi iustissima satisfactione; & perfectà iustitiâ, nisi Deus hypostaticè vniretur humanæ naturæ, vel saltem naturæ rationali; vt dicemus artic. sequenti: ergo hic fuit conuenientissimus modus.

Probatur Secundò, Per decem utilitates quas refert D. Thomas art. 2. Vide illum.

Dices; Deus maximè est liberalis: ergo magis consentaneum erat, vt liberali condonatione, sine aliquâ satisfactione, genus humanum repararetur.

10
Non deca-
bat pecca-
tum libe-
raliter à
Deo con-
donari.

Respondeo, Negando Consequentiam. Primò, Quia etsi deceat priuatam personam sine omni satisfactione iniuriam remittere; non tamen id ita decet publicam; cuius est vindicare crimina, vt seruetur iustitia. Secundò, Quia etsi Deus sit maximè liberalis & misericors, non tamen est minùs iustus; unde conuenientissimum fuit, vt is modus adhiberetur, in quo summa liberalitas & iustitia coniungerentur. Vfus est enim summa liberalitate & misericordia erga nos; & summa iustitia erga Christum satisfacientem.

Dices Secundò, Videtur contra iustitiam, exigere satisfactionem ab innocente, & tradere illum morti pro impio.

Respondeo; Non esse contra iustitiam, quando innocens in hoc consentit: consensisse autem Christum patet Psalm. 39. vers. 7. *Sacrificium & oblationem nolui, corpus autem aptasti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quem locum Apostolus interpretatur de Christo, ad Hebr. 10. Postquam autem Christus consentit, tenebatur ex iustitia per modum fideiussoris, pro nobis satisfacere.

Satisfactio
pro homi-
ne, non fuit
innocenti
Christo
iniuriosa.

Accedit; Quod ista satisfactio, etiam ipsi Christo fuerit vtilissima; vt patet ad Philip. 2. v. 9. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Adde; Cum Deus sit absolutus omnium Dominus, potuisse eum disponere de Christi humanitate, pro suo arbitratu sine vllâ iniuriâ.

Dices Tertiò, Videri fuisse quandam prodigaliter, dare rem infiniti pretij, pro bono finito alterius recuperando: id est, pro salute hominum, profundere vitam Christi.

Respondeo; Fructus huius mysterij, non fuit in solâ hominum salute; sed redundat in maximam Dei gloriam; & etiam ipsius Christi dignitatem. Et, quamuis vita Christi ob excellentiam personæ fuerit infinita dignitatis; tamen non erat physicè & realiter infinita. Deinde; ad breue solum tempus erat extinguenda, moxque cum summâ gloriâ excitanda: hominum autem salus futura est sempiterna.

Neque ar-
guit prodigaliter

Adde; Ea quæ sunt perfectiora, sæpè à Deo ordinari ad opem, directionem, & perfectionem imperfectiorum. Sic Angelos ad hominum ministerium destinauit ad Hebr. 1. vers. 14.

DVBIVM